

Die Übertragung der Kirche an die Antoniter. - 1441

Codex diplomaticus anecdotorum res Moguntinas etc.

Tom. IV., p. 276 - 281, Nr. CXXVIII, V.F. de Gudenus, Frankfurt & Leipzig 1758

THEODERICVS D. G. *sanctę Maguntine Sedis Archiepiscopus, S. R. I. per Germaniam Archicancellarius.* Ad perpetuam rei memoriam notum facimus universis, presentibus & futuris: Pastoralis officii cura, quam Deo auctore in partem nostre sollicitudinis gubernandam suscepimus, ad id nos impellit, ut sacra plantetur Religio, & divinus cultus nostra etate indies recipiat incrementum. Que quidem, etsi universis nostre Diocesis Religionibus sincero desideramus affectu, ad eam tamen, que in honorę Eximii Xpi Confessoris beati ANTHONII pie dedicata est, religionem singularius & devocius zelo accenti, ipsam in nostra Diocesi uberius moderati sumus palmatibus propagare.

Ad laudem igitur & gloriam S. & IND. TRINITATIS, honorem & reverentiam prefati . . . Xpi Conf. B. *Antonii*, Ecclesiam parrochiam in *Hoeſte* in opido nostro, cum omnibus

bus & singulis suis iuribus, obventionibus, censibus, redditibus, proventibus & pertinentiis universis, cum infra scriptis modis, Statutis & ordinationibus, per *Fratres S. Anthonii*, futuris . . . temporibus regi volumus, & gubernari; Ipsamque Ecclesiam, in Domum Religionis *S. Anthonii*, in nomine *D. N. I. C.* ex nunc auctoritate nostra erigimus & creamus per presentes: Volentes, statuentes & ordinantes, ut XII ad minus, si haberi possunt, una cum Preceptore, in habitu Religionis *S. Anthonii* Fratres ibidem degant, Horas canonicas, cantando & legendo iuxta laudabilem Religionis illius observantiam, nocturnas atque diurnas omnipotenti Deo devote persolvant, sub disciplina & observantia regulari vivant, ut omnip. Deo in die Iudicii, vite sue regiminis valeant reddere rationem.

Statuimus nichilominus, & huic nove nostre creationi adiicimus, ut perpetuo unus ibidem sit Superior, qui, ut moris est in ipsa Religione, Preceptor appelletur; qui omnem in Fratres illius loci potestatem & auctoritatem habeat, prout & quemadmodum iuxta laudabilia dicte Religionis statuta Preceptores aliarum Domorum *S. Anthonii* in suos Fratres & Religiosos habere consueverunt.

Et ut nova illa erectio indies proficiat, ac seminator zizanie, omnis presertim boni exordii crudelis inimicus, inveniri non valeat; & pastor ovem, non per mercenarium, sed per se ipsum, ne lupo devoret, custodire valeat; Preceptor domus illius qui p. t. fuerit, una cum numero Fratrum . . . prescripto in ea personalem faciat residentiam, prout ceteri huiusmodi Religionis domorum Preceptores iuxta laudabilia statuta predicta, Domibus & Preceptorii suis facere tenentur, & debent.

Adiicimus insuper, quia sacra illa Religio *S. Anthonii* ex questu & largitione fidelium, que per Diocesim & parrochias undique fiunt & colliguntur, plurimum consistit, Fratres . . . inde vivunt, tenetur hospitalitas, egris & infirmis, membris morbido igne consumptis carentibus, solatia vite tribuuntur,

ne ex vicinitate locorum, in colligendis Questibus & elemosinis, Domus in *Rostorff* nostre dioc. & in *Hoeſte*, que propinque ad tria miliaria teutonica vel circa existunt, se mutuo impediunt; unus & idem sit utriusque domus Preceptor, idem Questus & idem negotium. Quas quidem domos de *Rostorff* & de *Hoeſte*, ex premissis & aliis iustis & rationabilibus causis ad hoc animum nostrum moventibus, tenore presentium invicem unimus, annectimus & incorporamus; & pro invicem annexis, unitis & incorporatis esse perpetuo volumus, decernimus & ordinamus; quodque, quia Domus in *Rostorff* campestris & non munita, ac in loco minus honesto & accomodo pro Fratibus & personis aliis, Religioni prefate necessariis existit, potest Preceptor, & debet Fratres & alias personas d. domus in *Rostorff* ad domum in *Hoeſte* de novo erectam transferre & recipere; qui in omnibus & per omnia, sicut in domo *Rostorff*, ita & in domo de *Hoeſte* habeantur, teneantur, recipiantur & honorentur.

Per hanc autem erectionem, unionem & mutationem non volumus nec intendimus, quod aliqui Preceptores, Fratres seu persone, cuiuscunque conditionis existant, Domui seu Preceptori in *Rostorff* subiecti quovismodo, aut obligati, possint aut valeant ab huiusmodi subiectione vel obligatione se abstrahere aut excusare; sed, sicut prius fuerunt dicte domui de *Rostorff*, ita, & nunc & in perpetuum, domibus de *Rostorff* & de *Hoeſte* invicem unitis, subiecti & obnoxii sint, & remaneant.

Vt vero Preceptor & Fratres, qui in d. domo de *Hoeſte* Altissimo famulari, & laudes divinas persolvere debent, non solum ex Questu, qui frigescente caritate dictum decreſcit, provisi sint, certis Bonis, redditibus & obventionibus ad mentem nostram archiepiscopalem spectantibus & pertinentibus, dictam Domum de *Hoeſte* dotare decernimus stabilem.

PRIMO namque damus & assignamus d. Domui curiam nostram prope Ecclesiam, vulgariter *Probstiehoff* * nuncupatam, & etiam curiam nostram vulgariter *Bumanshoff* ** appellatam, cum suis attinenciis.

* *Præpo-*

* *Prepositura. olim annexa Monasterio S. Albani, de cuius
cætu Monachus, illic habitanti Preposito adiunctus, curam
gerebat animarum. Ipso autem Canobio in Ecclesiam Colle-
gialem an. 1419. converso, novelli Canonici (ex pertasis mo-
nachis facti) Bona, largasque d. Prepos. possessiones, velut
in reahostimentum opera, circa huius exoptabilis immutatio-
nis negotium a Ioanne II. ipsis præstita, tradiderunt Archi-
episcopatus.*

** *Hæc Curia nomen accepit a pristino eiusdem possessore, Iacobo
Bauman Decano S. Crucis, † alioqui der Sendhof vo-
cata, dum Iudicis Synodalibus inibi exercitiis deserviebat.*

† v. T. II p. 718.

ITEM damus & assignamus ducenta nonaginta unum
iugera terre arabilis, in finibus opidi *Hoesle*. ITEM X. &
VIII. iugera pratorum, vulgariter by dem *Phingstborn*
sitorum.

ITEM domum *Dotis* ecclesie parochialis & *Premissariam*
ibidem, dicte *Domui*, cum *Parrochiam* & *premissariam* seu
quamlibet illarum vacare contigerit, uninus & incorporamus;
sic tamen, quod per unum ex Fratribus dicte domus sufficien-
tem & idoneum, quem *Preceptor* duxerit eligendum & pre-
sentandum, cura animarum populi dicte loci in d. ecclesia par-
rochiali, dum eam per cessum seu decessum Dni *HEINRICI*
Guntheri, ipsius moderni *Reactoris* vacare concigerit, ministre-
tur, & debite deserviat; ac *Premissarie* predicte per alium
ex eisdem Fratribus ut perfertur eligendum, iuxta earum in-
stitutionem satisfiat, & deserviat in *Divinis*.

ITEM damus & assignamus pred. *Domui* omnes & singu-
los parvos *Census*, ad *Iudicium* & *iurisdictionem* curie, ratio-
ne *Prepositure* pertinentes, nec non *Decimam* integram in
Hoesle, vulgariter *Probstie* *Zehenden* nuncupatam, prout
& nos & *predecessores* nostri recipere consuevimus.

ITEM consentimus nostro, *SUCCESSORUM* & *Ecclesie* no-
stre *Maguntine* nomine, si dicte *Preceptor* & *Fratres* domos
ibidem in *Hoesle* circumiacentes, videlicet *IOHANNIS Mors-*
heim

beim Scriptoris nostri theolonii in *Hoeste*, ac *CONRADI Erpsin* Rectoris scholarum ibidem, *HERMANNI Syen* pistoris, *IOHANNIS* fabri, nec non domos dicti *Etzelbenne* dolliatoris, & *ALHEYDIS*, relicte quondam *WENZONIS* carpentarii, ad ampliationem dicte habitationis comparaverint; quod huiusmodi emptionem gratam ratam atque firmam habebimus, & habemus pro nunc prout ex tunc, ac easdem domos, dum empte fuerint ut prefertur, ab omni iure & censu nobis debitis perpetuo quitamus & liberamus.

Volumus nichilominus, promittimus & ordinamus, quod futuris perpetuis temporibus Preceptor Domus & Fratres predicti, & eorum subiecti, per nos nostrosque Successores fideliter tueantur & defendantur, in iuribus privilegiis & libertatibus suis conserventur, Subsidia iuxta privilegia sua non persolvant; de omnibus que ducunt, deportant, adducuntur seu deportantur, pro provisione Fratrum, pro edificiis & culturis, de propriis suis clementis & aliunde, in theoloniis nostris nil persolvant; sed libere, sine alicuius theolonii seu vectigalis solutione inducant, sive deducant, per se, vel per aliam; dolo & fraude cessantibus.

Dabimus etiam nos & Successores nostri singulis annis Litteras pro Questu, que *Vidimus* dicuntur, pro dicta domo, ac domibus sibi subiectis, videlicet *Colonienſi* & *Alzeia*; quas etiam litteras sub honesta & decenti solutione, scilicet pro XL. florenis, temporibus congruis per Cancellariam nostram . . . sine dilatione aut impedimento faciemus effectualiter exhiberi. In quorum omnium & singulorum evidens testimonium, nos presentes Litteras appensione Sigilli nostri maioris, de certa nostra scientia fecimus communiri.

Et nos *PETRVS Ecbter* Decanus, & Capitulum Ecclesie *Maguntine* recognoscimus, & publice protestamur, dictas erectionem, incorporationem, donationem, privilegiorum dationem, omniaque & singula puncta in premissa Littera contenta, cum nostris expressis consensu pariter & assensu fore factas & concessas, facta & concessa.

In quorum testimonium, maius Sigillum Capituli nostri presentibus una cum Sigillo prefati R^{mi} Domini Archiepiscopi *Magunt.* duximus appendendum. Datum in Castro nostro *Afchassenburg* die XXI. mensis Septembris. Anno Domini MCCCXLI.